



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Sect. V. Magis ostenditur virtualis distinctionis neceßitas ad mysterium
Trinitatis explicandum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

Christi in cœlo se de facto secundò in Eucharistâ producere.

VI.
In hac sententiâ tres Personæ non sunt tria positiva.

Contra hanc sententiam est secundò: quantumvis enim nonnulli asserant, negationem esse de conceptu Personalitatis, omnes tamen fatentur Personas divinas esse tria positiva: in hac autem sententiâ non sunt tria positiva; natura siquidem, quæ est unicum positivum, quod juxta hanc sententiam isthic reperitur, non est realiter diversa, sed eadem numero in omnibus tribus Personis, & sola distinctio exercetur in negationibus: unum autem positivum cum tribus negationibus non constituit tria positiva: sic enim Petrus cæcus, surdus, & mutus esset tria positiva, quod nullus dicit: ergo præter illas negationes dari in Deo debent tres Relationes positivæ, in quibus exercentur distinctio.

VII.
Pater præter Innascibilitatem inæquirit conceptum positivum.

Tertiò impugnatur eadem sententia: conceptus enim Innascibilitatis, seu negationis omnis productionis passivæ, non est conceptus Patris, seu generantis: Judæi enim Deum cognoscebant esse improductum, non tamen esse Patrem, & producere Filiam. Imò hic videtur communis sensus Patrum: Unde S. Augustinus lib. 5. de Trin. cap. 6. de Patre loquens: *Alia, inquit, notio est, quâ intelligitur genitor, alia quâ ingenuitus.* Et Concilium Florentinum supra citatum, dum ait *Patrem omnia dedisse Filio præter esse Patrem*, intelligit non dedisse Filio conceptum *generantis*: generare autem est quid positivum, & realis in Deo processio: ergo aliquid aliud constituit Patrem præter Essentiam divinam, & negationem productionis passivæ.

VIII.
Persona divina in tantum nunciat in se ipsâ, in quantum ad invicem sunt.

Quartò contra illam sententiam facit dictum illud Concil. Tolet. II. quod de hoc mysterio loquens: *Personæ divinæ, inquit, hoc solo numerum insinuant, quod ad invicem sunt, sed non referuntur per negationes, referri enim ad se invicem est producere & produci, quod non fit per negationes, sed per relationes reales, infinitam in agendo vim habentes.* Quod si quis dicat Naturam divinam prout subest his tribus negationibus, esse Essentiam & Relationes, generare & generari, spirare spirari, esse Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, &c. O omnipotentissimas negatiunculas! imò planè stupendas, quæ nihil ipsæ cum sint, tam mira in Naturâ divinâ operantur. Deinde velint nolint hujus sententiæ fautores, concedere debent virtuales distinctionem: Essentia siquidem prout secundum illos subest uni negationi, & generat, debet aliquo modo distingui à se prout est sub alterâ, & generatur: sed non distinguitur à se totâ realiter: ergo virtualiter.

IX.
Uterius ostenditur admitti in hac sententiâ debere virtuales distinctionem.

Quod sic ulterius urgetur, & quintò impugnatur hæc sententia: Ponamus aliquem videre Essentiam divinam, & totum positivum, quod est in Deo, non visis hisce negationibus. In hoc casu inquiri, utrum is distinctionem aliquam in illo positivo visurus esset, inter Paternitatem scilicet & essentiam, an non? Si non: ergo tota distinctio consistit in negationibus, & consequenter erit realis, cum hæc ut dictum est, & à se invicem, & à toto illo positivo distinguantur realiter: Si ita: ergo à parte rei datur inter Paternitatem & Essentiam aliqua distinctio, non realis; ergo virtualis. Quod verò distinctio aliqua inter Paternitatem (idem est de aliis Relationibus) & Essentiam dari debeat, videtur certum; in hoc enim, ut dixi, situm est mysterium Trinitatis, ut aliquid in Patre sit, per quod realiter conveniat, & identificetur cum Filio, & aliquid, per quod realiter ab eo distinguatur: quod sanè, salvâ fide, videtur negari non posse,

In Trinitate esse debet aliquid in quo Persona conveniant realiter, & realiter differant.

præferim dicente Concilio Florentino, ut vidimus, *Patrem omnia dedisse Filio, præter esse Patrem*, quod sine dubio est aliquid reale, & positivum: de quo plura seccione sequente. Alia multa contra hanc sententiam excogitari possent, sed hæc, ut existimo, ad eam rejiciendam sufficiunt.

SECTIO QUINTA.

Magis ostenditur virtualis distinctionis necessitas ad Mysterium Trinitatis explicandum.

SUPRA, seccione tertiâ, varia attuli argumenta ad ostendendum virtuales distinctionem esse ad Trinitatis explicationem necessariam: illud imprimis ex Concilio Florentino, quod in literis unionis dicit, *Patrem omnia dedisse Filio præter esse Patrem*. Ex quo sic argumentor: esse Patrem, seu generare, est prædicatum positivum, & reale, existens realiter in Patre: sed hoc prædicatum, juxta Concilium, Pater non dedit Filio: ergo aliquid reale & positivum Pater dedit Filio, nempe Essentiam; & aliquid reale, & positivum, realiter identificatum cum Essentiâ, nempe *esse Patrem*, seu generare Filium, non dedit Filio: ergo inter Essentiam & esse Patrem, seu generare Filium est ante omnem actum intellectûs aliqua distinctio, non realis: ergo virtualis.

Dices, Pater hoc ipsum prædicatum dat Filio, cum se illi det. Contra in aliquo vero sensu intelligi debet Concilium: ergo quantumvis Pater det Filio suam Essentiam, utpote quæ Filio cum Patre est communis, non tamen dat ei *esse Patrem*; sic enim daret illi generare Filium, quod de fide est ipsi à Patre non conferri. Idem est de Patre & Filio respectu Spiritus Sancti, cui licet suam Essentiam communicent, non tamen dant ei spirare, seu producere Spiritum Sanctum, nec ipsi convenit spirari, & sic de aliis.

Dices secundò: est etiam in Filio hoc prædicatum, sed non denominat. Contra primò: Concilium negat esse illud in Filio; negat enim Patrem ei hoc dedisse; Filius autem nihil habet, quod non accipit à Patre. Contra secundò: alia prædicata cum hoc identificata dant suam denominationem Filio, ut Æternitas, Ascitas, Infinitas, Deitas Patris denominant Filium Æternum, Infinitum &c. & tamen *esse Patrem*; seu generare non denominant eum Patrem, seu generantem: ergo inter *esse Patrem*, & Essentiam, aliaque Attributa datur distinctio virtualis, cum de eodem reali respectu eisdem affirmetur denominare & non denominare, quæ non sunt minus contradictoria, quam produci & non produci, communicari & non communicari &c.

Dices tertio: ideo hoc prædicatum, nempe *esse Patrem*, non denominat, nec dat Filio conceptum Patris, seu generantis, quia invenit ibi prædicatum sibi contrarium, nempe generari; generare autem & generari opponuntur. Contra: eodem semper res redit: generari opponitur generare, seu conceptui Patris, non opponitur Essentiæ, & attributis absolutis, numero præcedente recentis; ergo cum eodem reali habet oppositionem & non habet: ergo nisi inter hoc prædicatum, nimirum *esse Patrem*, & inter Essentiam detur distinctio virtualis, erunt prædicata contradictoria. Quò se cunque ergo verterint adversarii, vim hujus argumenti

I.
Ostenditur Patrem aliquid positivum dedisse Filio, & aliquid positivum non dedisse.

Inter Essentiam, & esse Patrem, est virtualis distinctio.

II.
In aliquo vero sensu Filius non habet esse Patrem.

Idem argumentum fit de Spiritu Sancto.

III.
Hic prædicatum non denominare arguit distinctioem virtuales.

Infinitas denominat generare non denominat.

IV.
Generari opponitur generare, non opponitur Essentiæ.

Vim hujus argumenti, aduersarij nullo modo effugiunt.

argumenti non effugiunt, quod meo iudicio probat, à parte rei, & ante omnem operationem intellectus, inter Essentiam diuinam, & esse Patrem, admitti distinctionem aliquam debere, sed hanc certum est non esse realem: ergo est virtualis.

SECTIO SEXTA.

Qualis hæc inter Essentiam & Relationes distinctio virtualis sit declaratur.

I. Virtualis distinctio declaratur.

POSTREMIS hæc tribus sectionibus ostendimus virtualem distinctionem ad altissimum Trinitatis mysterium declarandum esse omnino necessariam; nunc qualisnam hæc distinctio sit, enucleatius discutendum.

II. Prima virtualis distinctio accipitur.

Virtualem in se distinctionem habere primò id dicitur, quod realiter unum cum sit, est virtute multiplex, utpote quod variarum in se rerum perfectiones continet, variisque producere potest effectus. Sic homo virtualiter multiplex est, quippe qui & planta, & bruti habet prædicata, vegetandi nimirum vim, & sentiendi, eorumque exercere potest operationes. Hinc constat huiusmodi virtualitatem, omnium maximam esse in Deo, utpote qui rerum omnium creatarum perfectiones in se unus complectitur, atque eorum effectus, ut calorem ignis, frigus aquæ, & sic de cæteris potest solus, modoque longè excellentiore, producere. Sed hæc non est illa virtualis distinctio, de qua præsens instituitur quaestio, quippe quæ, ut vidimus etiam in creaturis reperitur, ubi una frequenter, plurium in se virtutem continet, earumque operationes exercet.

Hæc virtualis distinctio, etiã in creaturis reperitur.

III. Qua sit distinctio virtualis, de qua loquimur in præsentia.

Distinctio itaque virtualis, de qua in præsentia loquimur, in eo sita est, quòd in eadem re indivisibili sit virtus ad duo prædicata, secundum se contradictoria, ut ad produci & non produci, communicari & non communicari, & id genus alia. Hæc tamen, licet in se sit contradictoria, nihilominus respectu hujus rei non sunt contradictoria: sicut enim in subiectis realiter distinctis produci & non produci, non sunt contradictoria, ut quòd Petrus producat, Paulus non producat, quia hic est subiectum realiter duplex: ita in re illà indivisibili, cui huiusmodi prædicata competere (qualis ob infinitam suam perfectionem est Deus, & solus Deus) non sunt contradictoria, quia res illa est virtualiter duplex, & hac in re æquivalet duobus subiectis realiter distinctis. Qua de causâ hæc distinctio est, non formaliter, sed virtualiter realis, seu virtute æquivalens reali.

Hæc distinctio est, non formaliter, sed virtualiter realis.

IV. Prima sententia negat Deo hanc distinctionem virtualem.

Huiusmodi itaque distinctionem virtualem in Deo non reperiri, mordicus defendunt recentiores aliqui, secuti, ut videtur, Patrem Vasquez 1. p. disp. 120. cap. 6. num. 26. & P. Granado de Trinitate tract. 3. disp. 3. sect. 4. quos latè impugnavi supra, sectione 3. & 4.

V. Secunda & probabilior sententia hanc distinctionem in Deo admittit.

Secunda sententia communior, & probabilior hanc distinctionem in Deo admittit: ita Valentia 1. p. disp. 1. q. 13. punct. 3. ad tertium, & Disp. 2. q. 4. p. 1. & q. 13. p. 1. secutus Cajetanum hic, q. 30. n. 1. Herice hic, Disp. 12. n. 5. Tannerus 1. p. disp. 2. q. 2. dub. 2. & Disp. 4. q. 1. dub. 4. & quaest. 3. dub. 3. n. 6. Arriaga hic, disp. 42. sect. 5. n. 51. asserens hanc distinctionem à nullo ex Catholicis negari posse: estque communissima inter recentiores opinio, quam etiam sententia R.P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. I.

tiam tenere videtur Suarez hic, lib. 4. de Trin. cap. 4. n. 18. Hanc conclusionem, & necessitatem distinctionis hujus virtualis fusè probavi supra sect. 3. & quintâ.

Dico itaque à parte rei, & independentè ab omni operatione cuiuscunque intellectus creati, esse in Deo Essentiam & tres Personalitates, seu Relationes, inter se realiter, ab Essentiâ virtualiter distinctas. Natura diuina, seu Essentiâ Filio communicatur; Esse Patrem, seu generare, secundum fidem, ut videmus, eidem non communicatur. Personalitas, seu Relatio Filii producitur, Essentiâ Filii non producitur. Uno Hypostatica non terminatur immediatè ad Naturam seu Essentiam, sed ad Personalitatem Verbi, & sic de aliis, quæ omnia à Theologis passim conceduntur, nec à quoquam negari possunt, & distinctionem aliquam à parte rei, ut dixi, inter hæc prædicata apertè arguunt, non realem, fide enim certum est Relationes ab Essentiâ, non distingui realiter: ergo virtualiter.

VI. Sententia nostra de distinctione virtuali magis explicatur.

Id verò notandum, quamvis inter Essentiam & Relationem, Filiationis exempli gratiâ, detur distinctio virtualis, nullo tamen modo est concedendum eas esse duas formalitates actualiter distinctas: si enim à parte rei actualiter distinguantur, & sint duæ; distinguuntur realiter, ut supra sectione secundâ, & Disp. 5. sect. 6. num. 6. 7. & 8. diximus contra Scotum.

VII. Essentiâ & Relatio non sunt duas formalitates actualiter distinctas.

A parte rei ergo est unum Ens simplicissimum, nullam actualem distinctionem, præterquam inter Personalitates, quæ realiter inter se distinguuntur, admittens. Est tamen hoc Ens virtualiter multiplex, seu virtutem plurium in se ita complectens, ut prædicata ex se contradictoria circa illud versari possint, perinde ac si esset res plures realiter distinctæ; eademque per hanc virtualement distinctionem, præstare potest, quæ per distinctionem illam actualem ex naturâ rei à Scotistis statutam, à quibus in hoc tantum discrepo, quòd illi inter Essentiam & Relationes actualem distinctionem statuunt, ego solummodo virtualement, quæ in re infinite perfectionis tantundem potest, atque actualis in rebus limitatis, realiter distinctis.

VIII. Deus est Ens, ab uno, virtualiter plura.

Quare appositisimè Suarez hic, lib. 4. de Trin. cap. 4. num. 15. hanc distinctionem vocat Virtualement ex naturâ rei. Non videtur, inquit, simpliciter appellanda ex naturâ rei, nisi cum addito, Virtualis ex naturâ rei, quæ est ipsissima nostra sententia. Addit quidem num. 18. ex parte nostrâ esse distinctionem rationis, quia scilicet nobis præbet fundamentum, Essentiam à Relatione, & hanc ab Essentiâ præcindendi, easque inadæquatè conceptibus representandi, quam ob causam, eam vocari etiam posse ait, rationis ratiocinata. Ex parte rei tamen, inquit ibidem, est distinctio virtualis. Molina quoque 1. p. q. 28. art. 2. Disp. 2. hanc distinctionem vocat Virtualement ex naturâ rei. Eodem etiam modo eam vocandam asserit Tannerus citatus, atque esse communem Doctõrum sententiam.

IX. Hæc distinctio est virtualis ex naturâ rei.

Cur interdum vocetur rationis ratiocinata.